

jam ad mala quae jubentur pronus est. Deinde in arbitrio hypnotizantis erit hypnotizatum turpiter tangere, ejus secreta extorquere, etc. Cfr. Coconnier. op. cit. p. 112 seqq. Plerumque etiam, qui semel se hypnotizanti tradiderunt, facillime ab eo iterum in hypnosim conjici, etiam inviti, possunt. Jamvero talis abdicatio libertatis humanae, cum tantis moralibus periculis conjuncta, licita esse nequit sine causa proportionata, ac proinde gravi (n. 14), neque sine cautelis quibus haec pericula, quantum fieri potest, removeantur. Hae cautelae potissimum in eo erant quod fidus testis, durante hypnosi, adstet, hypnotizans autem integerrimae sit probitatis.

2° Multiplicibus periculis exponitur sanitas ubi *imprudenter* vel *ab imperetis* inducitur hypnosis, praecipue si quis occulto morbo laborat : quare is qui medicinae imperitus, et sine medici consilio, alium hypnotizat, vel se hypnotizanti tradit, alienam vel propriam sanitatem in grave discrimen inducit.

Utrum inductio in hypnosim sine causa sufficiente, vel neglectis cautelis pro moribus et sanitate requisitis, grave an leve peccatum constituat, in singulis casibus definiendum erit e majore vel minore periculo damnorum moralium vel physicorum quae ex hypnosi timenda videantur. (1)

**275. IV.** Vitatis conatibus superstitiosis, et adhibitis cautelis supra explicatis, licet seipsum ob gravem causam hypnotizanti tradere. Etenim his cautelis, ut peritissimi medici testantur, quodlibet periculum pro sanitate removeri potest (Coconnier. op. cit. p. 284); e praesentia testis et probitate hypnotizantis removeri potest etiam quodlibet periculum pro moribus. Nihil ergo manet quod moralem difficultatem faciat, nisi privatio usus rationis et aliquale periculum ne quis postea invitus iterum in hypnosim conjiciatur (quod tamen non est semper in potestate hypnotizantis). Jamvero haec valde restricta abdicatio propriae libertatis non videtur notabiliter major quam quae fit ab aegroto qui ope chloroformii, etc. in somnum conjicitur : quod ob gravem causam licere diximus. (n. 185)

Ut liceat alterum in hypnosim conjicere, praeter has condiciones requiritur ejusdem consensus : nemo enim invitus, etiam ad tempus, usu suae rationis et libertatis privari potest. (2)

(1) Sapienter lex Belgica (30 Maii 1892) poenis severis afficit eos qui personam hypnotizatam in *spectaculum* dederint, vel qui, cum nec medici sint, nec specialem licentiam a gubernio obtinuerint, hypnotizaverint personas viginti annis minores vel amentes. — De effectibus physiologicis hypnotismi videsis periodicum : *Revue des Questions scientifiques* (ann. 1889 et 1890), *Études sur le magnétisme animal*, par le Dr Masoin.

(2) Plerumque iterum inviti in hypnosim conjici possunt ii qui jam semel ab eodem hypnotizante in somnum coniecti sunt, vel qui extraordinaria sensibili-

Graves causae ob quas licite hypnotismus adhibeatur, sunt praesertim duae : curatio morborum quibus sanandis desit aliud medium prorsus innocuum, et progressus quarundam scientiarum, puta medicinae vel psychologiae, his experimentis obtinendus. Praeterea censemus hypnotismum licite adhiberi ad tollendas, vel saltem minuendas, quasdam malas propensiones quae, ob vehementiam suam, libertatem tollunt vel extenuant, puta propensionem ad suicidium, ad liquores inebriantes, etc. Etenim ita non usus libertatis humanae, sed tantum *aliquod determinatum obstaculum* recto ejusdem exercitio efficiens, tollitur, et quidem libere : siquidem supponimus hominem sponte se tradere hypnotizanti ut bonum hunc effectum obtineat. Ceterum per suggestiones hypnoticas libertatem ad malum omnino et perpetuo tollere tum reapse impossibile est, tum Dei ordinationi repugnat.

### CAPUT III.

#### DE VITIIS OPPOSITIS RELIGIONI PER DEFECTUM.

##### § I. DE TENTATIONE DEI.

**276. NOTIONES.** Tentatio Dei est dictum vel factum quo quis experimentum sumit de Deo, ut videat num sit potens, sapiens, misericors aut aliquam aliam perfectionem habeat.

Distinguitur duplex : *formalis* seu expressa et *virtualis* seu interpretativa.

Formalis fit quando aliquis quidpiam a Deo postulat vel facit cum intentione explorandi Dei scientiam, potestatem, voluntatem, etc. (2. 2. q. 97. a. 1). Suarez (de Relig. tr. 3. l. 1. c. 2. n. 14) aliique eidem accensent dictum vel factum quo aliquis indebite et irrationabiliter explorat divinam voluntatem circa aliquid futurum : unde abest ab hujusmodi tentatione illa ignorantia vel dubitatio de perfectione divina quam S. Thomas ponit necessario inesse huic peccato.

Virtualis fit ab eo qui " etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit, quod ad nihil aliud est utile, nisi ad probandam Dei potestatem vel bonitatem vel cognitionem. " (S. Th. l. c.)

tate praediti sunt ; reliqui plerumque cogi non poterunt, modo nolint se subdere magnetizantis tentaminibus. (Coconnier, op. cit. p. 73 seqq.)



Ut autem habeatur interpretativa tentatio Dei, semper necessarium est ut, saltem desiderio et intentione, auxilium divinum impleretur. Ideo nulla habetur tentatio Dei quando nihil a Deo exspectatur, quod dupliciter contingit: 1<sup>o</sup> quando aliquis se committit discrimini, quia illud vult, puta denegando medicinas quo citius moriatur, vel ineundo duellum, sine ulla falsa persuasione qua olim specialis interventus Dei in favorem innocentis exspectabatur; — 2<sup>o</sup> quando effectus, ex imprudentia vel stoliditate, contra omnem probabilitatem exspectatur, ut fit quandoque ab aegrotis qui medicum et medicinas omnes respuunt. In adeundis hac mente periculis poterit peccari contra quintum Decalogi praeceptum, non autem contra religionem. (Ball. P. n. 117)

**277. ASSERTA. I. Tentatio Dei formalis**, quando includit dubitationem de perfectionibus divinis, gravi peccato infidelitatis addit grave peccatum contra religionem.

Nam gravem irreverentiam Deo irrogat qui ab Eo petit ut probet suam omnipotentiam, bonitatem, etc. quasi esset ludio quidam. Ad irreligiositatem autem pertinet quod, ex incertitudine fidei, homo aliqua faciat, quae ad divinam irreverentiam pertinent. (S. Th. I. c. a. 3. ad 1)

**II. Tentatio Dei formalis (sensu Suarezii)**, in qua non dubitatur de divinis perfectionibus, minus quidem culpabilis est, cum non supponat infidelitatem; constituit tamen et ipsa peccatum ex genere suo mortale contra religionem.

Nam gravem irreverentiam Deo irrogat qui indebite et irrationabiliter vult nosse in aliquo voluntatem Dei et, ad illam explorandam, aliquid a Deo petit. Vult enim ut Deus sua potentia aliquid mirabile et extraordinarium operetur solum ad illum vanum finem: quod est valde alienum a sapientia et prudentia Dei. Petit ergo a Deo aliquid quod esset indecentissimum infinitae Majestati: ut nempe potentiam suam exserat ad rem inutilem decendam. (Suar. I. c. n. 16)

**278. III. Tentatio Dei interpretativa**, cui nullum subsit dubium de perfectionibus divinis, est quidem ex genere suo mortalis; attamen plerumque est tantum veniale peccatum ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconsiderationem vel parvitatem periculi cui aliquis se exponit.

Non apparet enim gravis irreverentia erga Deum in eo qui se alicui leviori periculo committit, exspectans speciale auxilium divinum praeter ordinem a Providentia Dei statutum. Attamen grave peccatum committitur ab eo qui se vel alium magno periculo exponat, temere exspectans miraculum quo liberetur. Adversatur hoc peccatum etiam religioni, quia,

saltem virtualiter, divinum auxilium imploratur, sed imprudenter et contra beneplacitum Dei. (Suar. I. c. e. 3. n. 5)

Nullum autem est peccatum si speciale auxilium Dei imploratur ubi justa est causa, ex. gr. Dei instinctus, necessitas vel pia utilitas: sic enim jam non tentatur Deus. Quandoque etiam tentatio Dei mere materialis est, scilicet ubi aliquis ex errore et perperam intellecta fiducia existimat speciale auxilium divinum peti vel exspectari posse.

Hinc miraculum a Deo petere licet, quoties adest utilitas gravis ad nostram aliorumve salutem vel divinam voluntatem implendam. Offerre autem absolute miraculum ad conversionem haereticorum, non licet, cum sufficiant nostrae fidei testimonia. (S. Alph. n. 31)

Controvertitur inter AA. num tentatio Dei interpretativa specie differat ab expressa. (S. Alph. n. 32) Practice discrimen erit in confessione explicandum, propter peccatum grave infidelitatis, quod in formali tantum reperitur.

## § 2. DE SACRILEGIO.

**279. I. Sacrilegium, lato sensu**, est quodlibet peccatum contra virtutem religionis, ex. gr. perjurium, blasphemia; *sensu stricto*, quatenus speciale peccatum constituit, definitur: violatio rei sacrae. (2. 2. q. 99. a. 1) In hac autem definitione *res* sumitur sensu maxime indeterminato, quo complectitur etiam personas et loca, seu quidquid ad divinum cultum ordinatur.

Malitia specialis hujus peccati contra virtutem religionis in eo est quod res sacra violatur per aliquam irreverentiam. Scilicet "ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum; et sic ei quaedam reverentia debetur, quae refertur in Deum. Et ideo omne illud quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet et habet sacrilegii rationem." (S. Th. I. c.)

**II. Distinguuntur tres sacrilegii species**, nempe *personalis*, *localis* et *realis*, prout irreverentia irrogatur personae, loco, vel rei sacrae. Rationem assignat S. Th. (I. c. a. 3), quod "debetur reverentia rei sacrae ratione sanctitatis. Et ideo, secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est quod sacrilegii species distinguantur. Tanto enim sacrilegium est gravius quanto res sacra in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem." Hanc divisionem, tamquam sacris canonibus omnino conformem, recipiunt etiam ii qui, ut Suarez (de Rel. tr. 3. l. 3. c. 1. n. 7 seqq.), de theoretica ejus probatione dubitant.



Juxta S. Th. (l. c. ad 2) hae tres species sunt *infimae*, ita ut jam non sit ulterius distinguendum, ex. gr. inter sacrilegia personalia. Hoc etiam S. Alph. (n. 34) contra Suar. (l. c. n. 8) aliosque probabilius opinatur. Ceterum *practice* poenitentes, declarando peccatum commissum, ex. gr. utrum personam sacram violaverint percutiendo an fornicando, rationem sacrilegii *plene* pendent.

**280. III. Personale sacrilegium** committitur praesertim triplici ratione: inferendo manus violentas in personas ecclesiasticas, has contra *vigentium* canonum praescripta subjiendo tribunalibus civilibus, luxuriose violando personam Deo per votum castitatis sacram. Sacrilegia autem non sunt reliqua peccata quae contra personam sacram fiunt, puta calumniae contra sacerdotem; similiter nec reliqua peccata quae ab ipsa persona sacra committantur. Haec enim non repugnant directe personae quatenus sacra est.

De duabus prioribus rationibus agetur Vol. II. nn. 590 et 594. Hic ergo tantum de tertia breviter dicendum, scilicet:

1° Peccatum sacrilegii committitur tum a persona sacra luxuriae indulgente, tum a complice. Ideo si ambae essent sacrae, haec circumstantia in confessione omnino manifestanda foret.

2° Controvertitur quaenam personae relate ad hanc violationem dicendae sint sacrae. Probabilius opinamur eas tantum quae vel ordinem sacrum suscipere, vel per votum castitatis, etiam simplex, vere religiosae factae sunt. Nam, ut aliquis fiat persona sacra, non sufficit quodlibet votum privatum, sed requiritur ut per Ecclesiam ad cultum divinum deputetur. Haec videtur etiam S. Th. doctrina. Cfr. verba citata n. 279, I. Manifestum tamen est violationem personae quae voto privato castitatis ligetur, esse grave sacrilegium sensu lato, quatenus fides Deo data irreverenter frangitur. Alii autem, ut S. Alph. (l. c. n. 47), opinantur hoc esse sacrilegium proprie dictum. Cfr. Ball. P. n. 135 seqq. E probabilitate hujus posterioris sententiae sequitur non esse obligationem declarandi in confessione utrum votum castitatis violatum privatim an in ordinatione vel professione religiosa emissum sit.

Si quis autem simul religiosus et sacro ordine initiatus contra castitatem peccaret, non committeret nisi unum sacrilegium (S. Alph. n. 455), quia utrimque habetur idem votum ex eodem motivo religionis obligans. (n. 163)

**281. IV. Locale sacrilegium** committitur quadruplici ratione: violando immunitatem ecclesiarum seu jus asyli, actionibus quibus ecclesia polluitur, furto rei quae in ecclesia reperitur et ad eam peculiariter spectat, actionibus profanis quae loci sanctitati repugnant.

De immunitate ecclesiastica agetur Vol. II. n. 598; de actionibus quibus ecclesia polluitur Vol. II. n. 242. Quae hic adnotabimus fere non spectant nisi ad duas posteriores sacrilegii localis rationes:

1° *Locus sacer*, seu ecclesia, in praesenti materia (seposita quaestione de immunitate), censetur ille qui auctoritate episcopi ad cultum divinum deputatus est, sive jam sollemniter consecratus, sive tantum benedictione donatus sit. Comprehenduntur ergo omnes ecclesiae et sacella quae non sint *stricto sensu* privata, et coemeteria canonice fidelibus sepeliendis deputata.

2° Furtum, in ecclesia factum, probabilius non habet mortalem malitiam sacrilegii localis nisi res furto sublata, sive sacra sit, sive profana, speciali ratione ad ecclesiam pertineat, puta si ecclesiae usibus fuerit commodata vel ejusdem custodiae commissa. Atque ideo plures DD. interpretantes cap. *Quisquis* (Decr. Grat. q. 4. causa 17): "Sacrilegium committunt auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro," notant dici *de sacro*, non autem *in sacro*, ut indicetur aliquod vinculum speciale inter rem et ecclesiam. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 470) Ideo si quis crumenam alterius in ecclesia versantis furatur, non contrahit gravem sacrilegii malitiam, ideoque haec circumstantiam in confessione tacere potest.

3° Omnia peccata quae in loco sacro committuntur, per se loquendo et seclusa ignorantia vel inadvertentia, aliquam sacrilegii malitiam adnexam habent. Nam adversatur reverentiae loco sacro debitae quod convertatur in locum peccandi et offendendi Deum. Haec tamen malitia plerumque levis est; gravis evadit tantum quando actiones peccaminosae speciatim legibus positivis in loco sacro fieri vetantur, ut sunt eae quibus ecclesia polluitur, vel quando natura sua gravem irreverentiam loci sanctitati inferunt, ex. gr. jumenta in ecclesia tamquam in stabulo collocare, ibidem comoedias lascivas exhibere, etc. (Lugo, l. c. n. 466 seqq.)

In specie, peccata luxuriae non consummata gravem malitiam sacrilegii localis probabilius non continent, nisi conjuncta sint cum periculo pollutionis: tunc enim videntur comprehendi sub prohibitione ipsius effusionis seminis humani qua ecclesia pollui declaratur. Neque desideria turpia gravem hujusmodi malitiam involvunt, nisi ferantur in peccatum intra ecclesiam consummandum: quod perraro fiet. (Lugo, l. c. n. 464 seqq.)

4° Prohibentur in ecclesia fieri saecularia judicia et parlamenta: quae tamen permitti possent, si deesset alius locus opportunus et sine strepitu fierent. (S. Alph. n. 37) Similiter mercatus in loco sacro prohibentur: quod tamen intellegendum est de casu quo locus ille ex industria negotiationi peragenda deligatur. Immo, si absque perturbatione divinatorum officiorum id fiat, tolerari potest ut in coemeterio vel in ipso templo



vendantur cerei et alia quae ad devotionem populi pertinent. (Laymann, l. 4. tr. 10. c. 7. n. 9) Permitti quoque possunt in ecclesiis comoediae honestae ad fovendam pietatem idoneae, exercitia litteraria vel scientifica. (Ball. P. n. 196)

**282. V. Sacrilegium reale** est violatio rei sacrae seu quae publica auctoritate cultui divino deputata sit. Res autem sacrae ad quadruplex genus reduci possunt (2. 2. q. 99. a. 3; Struggl, tr. 5. q. 6. n. 15) :

1<sup>o</sup> Sacramenta. Hinc sacrilegium committitur ab eo qui sciens volens efficit ut invalide conficiantur, qui ea indigne ministrat vel suscipit, ut exponetur in Tr. de Sacramentis in genere. Quodsi contumeliose tractantur, accedit malitia blasphemiae, quia contemptus in ipsum Deum redundat vel prius contra Deum habetur et dein transfertur ad res divinas, ex. gr. si quis oleum sacrum contumeliose ad usum profanum adhibeat. (Lehm. I. n. 380) Gravissimum sane est sacrilegium quod in S. Eucharistiam committitur; non constat tamen hinc oriri novam sacrilegii speciem. (n. 279, II)

2<sup>o</sup> Vasa consecrata ad usum sacramentorum, reliquiae et imagines Sanctorum; sacra Scriptura, sacrae aedes, altaria. Ut autem dijudicetur num graviter peccent qui unum ex istis, secluso contemptu, irreverenter tractent, videndum erit num gravem injuriam Deo rebusve sacris inferre merito censeantur. Id in quibusdam casibus erit manifestum; in dubiis attendatur ad intentionem agentis.

Specialim quod ad verba S. Scripturae pertinet, grave sacrilegium erit ea adhibere ad finem graviter malum, puta ea detorquendo ad sensum impium vel obscenum. Ubi ad meras facetias adhibentur, plerumque culpa venialis fiet: quandoque omnis irreverentia atque ideo omnis reatus abesse poterit. (Lehm. I. n. 382)

3<sup>o</sup> Ornatus ministrorum sacrorum vel altarium, et alia quae ab Ecclesia in ordine ad usum sacrum benedicuntur. Advertendum tamen non omnia quae benedicuntur fieri res sacras, ut patet e benedictionibus *mere invocativis*, quas Ecclesia effundit in res usibus profanis destinatas, puta domos, naves. Insuper non omnia quae in ordine ad usum sacrum benedicuntur cum eodem rigore ab usibus profanis segregantur. Sic sacrilegium reale committeret qui ornamenta sacerdotalia benedicta deferret in ludo theatri: non peccaret vero qui, secluso contemptu, ad usus profanos adhiberet incensum, candelas, ramos, aquam benedictam. (S. Alph. n. 40) Veteres canones (ex. gr. de Consecr. Dist. I. cc. 38 et 39) severe prohibebant ne res usibus sacris dicatae, ex. gr. ligna ecclesiae consecratae, altaris palla vel velum, usibus profanis addicerentur: quare illa comburi vel aliis usibus sacris adhiberi jubebant. Attamen rigor ille antiquus consuetudine mitigatus videtur. Ideo S. Alph. (n. 41), opinatur

res sacras usibus profanis addici posse dummodo *totaliter* immutentur, ut si calix igne vel ferro ad communem argenti massam reducat; non licere tamen ex veteri casula vestes profanas resarcire. Alii (Genari, Consult. mor. can. Cons. can. 33) etiam longius progressi, censent jam posse usibus profanis addici calicem et, a fortiori, reliqua vasa quae benedictionem amiserint; vestes sacras posse ad alios usus adhiberi, dummodo prius earum forma immutetur; ecclesiae dirutae petras, ligna et reliquam materiam ad usus profanos licite vendi. Semper tamen cavendum a fidelium scandalo.

4<sup>o</sup> Bona mobilia vel immobilia ad sustentationem ministrorum ecclesiae, ad hujus fabricam aliosve usus sacros deputata: licet enim talia bona in se non sint sacra, jus tamen Ecclesiae ad ea sacrum est. (Struggl. l. c.) Quodsi res quaedam nondum transiit in Ecclesiae dominium, puta legatum nondum ab herede solutum, sacrilegium non committitur nisi lato sensu ab eo qui eam furetur, destruat etc.

Sacrilegium reale etiam mera omissione fieri potest, et quidem grave, ex. gr. si ea quae ad sacrificium spectant, ut corporalia et similia, sint valde immunda. (S. Alph. n. 48) Raro tamen per illam negligentiam graviter peccabitur. Qui autem utitur corporali vel aliis paramentis non enormiter immundis venialiter tantum peccat, immo nullatenus, si alia haberi non possint. (S. Alph. I. 6. n. 376)

N. B. Feminae et laici prohibentur quominus nuda manu tangant calices, patenas, aras, etc. chrismate delibuta. Hoc tamen, si causa rationalis adest, licet; sine tali causa, alii contra alios id culpa veniali non vacare putant; certe, secluso contemptu, non est mortale. Id etiam per privilegium conceditur regularibus et monialibus sacristis. Idem consuetudine extensum est ad minus stricte dictos religiosos vel moniales, qui, ex officio sacristae, causam rationabilem tangendi vasa sacra habent. (Gasp. de Euch. n. 757) Omnibus autem licet tangere ea quae non tangunt immediate S. Eucharistiam, nec chrismate inunguntur, ut vestes sacerdotales, reliquias; item corporalia, pallas et purificatoria, saltem quando post usum sacrum lota sunt, immo etiam, plurium sententia, antequam laventur. (S. Alph. n. 48)

### § 3. DE SIMONIA.

**283. DEFINITIO.** Simonia communiter cum S. Th. (2. 2. q. 100. a. 1) definitur: studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali adnexum.

Verba *studiosa voluntas* non tantum indicant voluntatis deliberationem (quae in omni peccato formali requiritur), sed intentionem unius